

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 2: De aliis peccatis Caput 19: De temptatione dyaboli (18)

Idem (Gregorius) in moralibus:

Dyabolus cupidis prospera, timidis adversa per sompnia ingerit,  
ut magis afficiat, sed et sanctos quo minus valet vigilantes,  
gravius temptat dormientes,  
quod deus benigne permittit,  
ne saltem sompniis a passionis premiis vacent.

Ideo enim temptatione concuti permittitur homo,  
ut alta dei virtus et sua infirmitas videatur.

Saepe namque malignus spiritus his  
quos amore uitae praesentis uigilantes intercipit  
prospera etiam dormientibus promittit.  
Et quos formidare aduersa considerat,  
eis haec durius somnii imaginibus intentat,  
quatenus indiscretam mentem diuersa qualitate afficiat  
eamque aut spe subleuans, aut deprimens timore, confundat.  
Saepe autem etiam sanctorum corda afficere somniis nititur,  
ut ab intentione cogitationis solidae,  
ad tempus saltem momentumque deriuentur,  
quamuis ipsi protinus animum ab illusionis imaginatione discutiant.  
Sed hostis insidians quo eos uigilantes minime superat,  
eo dormientes grauius impugnat.  
Quem tamen haec maligne agere superna dispensatio benigne permittit,  
ne in electorum cordibus ipse saltem a passionis praemio somnus uacet.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 8.24 (CCSL 143, M. Adriaen ed.,  
p.414, ll.88-101).

### **Visitas eum diluculo.**

Diluculum est cum de nocte viciorum et ignorantie ad lucem venit homo  
in quo et mox probatur, ne enim bona a se habere gloriatur.  
temptatione concuti permittitur.  
vt alta dei et sui infirmitas videatur.  
sicut salomon post sapientiam temptatur a meretricibus.  
haec tota hac mortalitate homo patitur.  
vnde vsquequo non parcis mihi.

*Glossa ordinaria, liber Iob, 7* (Biblia Latina cum glossa ordinaria,  
A. Rusch ed., Strassburg, 1480).